

neratio humana : et in Spiritu sancto processio et gratia.

180. Spiritus sanctus operatur aliud in nobis propter nos, ut compunctionem, dimittendo peccata : devotionem, sanando opera : amorem, revelando cœlestia. Propter proximos aliud, ut doctrinam sermonum, gratiam curationum, etc.

181. Duplex est periculum, ne vel ea quæ propter nos, dividamus proximis : vel ea quæ propter proximos, reservemus nobis. Hæc est discretio spirituum.

182. Janitor memoriæ, recordatio professionis : voluntatis 786 janitor, memoria patriæ cœlestis : portitor intentionis, consideratio gehennalis.

183. Modi diligendi sunt quatuor. Carnem amare carnaliter, spiritum carnaliter, carnem spiritualiter, spiritum spiritualiter.

A 184. Tres sunt panes, quos de via veniens quærit amicus (Luc. xi) : continentia, humilitas, charitas.

185. Pax triformis. Ficta, ut in Juda : inordinata ut in Adam et in Eva : vera, quam Christus reliquit discipulis suis.

186. Sequentium pacem tria sunt genera. Pacati, qui in pace possident terram suam : patientes, qui in patientia sua possident animas suas : pacifici, qui pacem faciunt inter discordes.

187. Contemplatores alii ascendunt et cadunt; ut illi qui evanuerunt in cogitationibus suis : alii rapiuntur et descendunt; ubi, *Sive mente excedimus, Deo (II Cor. v, 13), etc.*

188. Quadrus lapis est superius amando cœlestia, inferius contemnendo terrena, a dextris vilipendendo prospera, a sinistris æquanimiter sustinendo contraria.

DISPUTATIO CUJUSDAM JUSTI CUM DEO,

Sive ad horam e corpore educti, et ad corpus reducti; sive in excessum rapti, et postmodum ad se revocati.

Videbatur huic aliquando, sive in corpore, sive extra corpus, Deus scit, concessum sibi jam amodo requiescere a laboribus suis, et sabbatizare cum populo Dei, sedere ad pedes Jesu; et intendere in speciem decoris ejus; Mariæ optimam partem se jam perpetuo adeptum, ac Rachelis pulchritudinem a cœlestis sponsi amplexibus nunquam avellendam : cum ecce subito de cœlo respiciens Dominus, vidit flentes parvulos, panem quærentes, matrem eorum viro viduatam ad maxillas lacrymas emittentem; consolationem sibi ac filiis quærentem, nec invenientem. Et respiciens virum voluntatis suæ juxta se de singulari gaudio tripudiantem, atque communem tristitiam velut ultra non curantem; respiciens, inquam, Dominus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, charitas, non quæ sua sunt, quærens : Salva sunt, inquit, tua tibi præmia, nec dilata minuentur; illorum potius miserere quos deseris. Numquid fratres tui ibunt ad pugnam, tu hic sedebis? numquid ipsi foris stabunt quærentes te, cum tu intraveris in gaudium Domini tui? Egrediendum tibi ad eos, et ad bella Domini surgendum et adjuvandum. Dixit ergo Dominus : Surge, et exi hinc. Homo : Domine, bonum est nos hic esse : quo ibo a facie tua? Dominus : Exi hinc, et redi ad ægrotum tuum, corpus tuum, quod tibi commisi custodiendum et observandum; jam tabescit. Homo : Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Domine, miserere. Ægrotus meus gravis est et intolerabilis, ad necessariam exigenda improbus, ad superflua vel noxia anxius et importunus. Dominus : Vide ut curam ejus facias; sed non in desideriis : sic enim expedit infirmitati ejus. Homo : Dura providentia. Dominus : Exi hinc. Si quid ei quod suum est tu-

leris, in quadruplum restituere compelleris. Sed et pueri jam plorant et petunt panem, et non est qui frangat eis. Homo : Mihi autem quando? Dominus : Tibi autem facies postea. Homo : Quid, Domine, quid? pascere eos non possum, nec curare nisi Ægypto dem manum, et Assiriis ut saturentur pane. Dominus : Creatura vanitati subjecta est non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe. Liberabitur autem a servitute corruptionis in libertatem filiorum gloriæ Dei. Homo : Domine, Assur iste non solum devorat carnes nostras, sed etiam exossat nos. Non solum corpus fatigando excruciat, sed pervenit gladius usque ad animam meam. Dominus : Si ego pro vobis tradidi animam meam, et vos debetis pro fratribus animas ponere. Homo : Et quare non defendis sanguinem nostrum? Dominus : Puer ergo es, qui nisi virgam, qua verberatus es, verberari videris, plorare 787 non desistis. Homo : Obsecro, Domine, sine me adhuc loqui ad Dominum meum, cum sim terra et pulvis. *Seduxisti me, Domine, et seductus sum : fortis fuisti et invaluisti (Jerem. xx, 7). Dixisti enim mihi; Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve (Matth. xi, 28, 30). Credidi, propter quod locutus sum (Psal. cxv, 10). Confugi libens et gaudens sub jugum tuum : et ecce, te permittente, possident me, Domine, absque te, et suo jugo ferreo attritum urgent in tritiram suam et tuæ civitatis civem conscriptum, de luto et latere cogunt Ægyptii civitates ædificare. Dominus : Patientes estote usque ad adventum meum. Homo : Usquequo, Domine? Dominus : *Moyses et Aaron, ile ad onera vestra (Exod. v, 4). Et projectum se sentiens homo a conspectu tam**

felicis beatitudinis, sicut Moyses et Aaron his verbis projecti sunt a conspectu Pharaonis, ad se reversus cum gemitu dixit : *Ego dixi in excessu mentis meæ. Projectus sum a facie oculorum tuorum (Psal. xxx, 23), Domine. Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi (Job. xxx, 21).*

SOLILOQUIUM.

Non est sancti Bernardi. Editum tamen est sub ejus nomine a Gretsero Ingotstadii, anno 1617, ex Bibliotheca Carthusianorum Erfordensium.

1. Cor meum, rogo te, ne sis cor fatuum, quod est cor contractum, quod omnem sapientiam non tenebit. Sed recordare viarum tuarum, et vide quantum inter se distent viæ, per quas hactenus ambulasti, et per quas ambulare oporteat ad Deum. Et vide, quantum distat ortus ab occidente (Psal. cii, 12), sic istas vias a se distare; cum via per quam ambulasti, sit plena levitate, otio, dissolutione corporis, et vanis quibusdam delectationibus : cum te non lateat, quod *qui mollis est et dissolutus, frater sit opera sua dissipantis (Prov. xviii, 9); et quod vere opera tua in eo non vigeant, sed potius dissipentur. Fateor quidem, cogitas nonnunquam mores velle corrigere; carnalibus desideriis plus et plus velle resistere; Dei laudibus vigilantius velle insistere; carnem per omnia velle spiritui subicere, otia fugere; vana et inutilia declinare; orationi ac meditationi ardentius invigilare. Proponis quidem hæc; sed nunquam vel rarissime video te effectui mancipare; imo etiam si quando incipis, sic misere desinis, ut ab inimicis tuis merito tibi dicatur : *Quia hic homo cepit ædificare, et non potuit consummare (Luc. xiv, 30). Nonnunquam cum orationi vel meditationi deberes insistere, torpore gravaris, somno deprimeris, cogitatione superflua seduceris. Et nonnunquam ut tempus orationis expendatur in desideriis, dormis. Et si qua tibi confortatio gratiæ tribuenda esset, hanc tibi surrupit carnis pigritia, ita ut ipsa confortetur, spiritu debili permanente. O vere impia nimis et dura crudelitas, ancillam domini substantiam voluptuose consumere, domina famelica permanente. Restat ergo, imminente pugna, ut a fortiori infirmior superetur. Quid sit aliud, cum corpus tempore sibi impenso ad sua commoda, cibo, potu, et somno non vult esse contentum; quin etiam tempore orationis abutendo, velit privari spiritum.**

2. O vere beatum tempus, omni dignum reverentia et disciplina; quo omne tempus colligitur, et pro inutiliter transacto, gemitus et lacrymæ; pro utiliter expenso Deo laus, honor et gloria referuntur! Quis digne dicat quanta sit temporis hujus utilitas? In pulsante pure oratione, velut animæ nuntio, non jam

A Sicque pondus diei et æstus repetere, luti et lateris iterum se subire contagia deplorans, quod ei reliquum erat vitæ in doloribus egit, opperiens donec omnino assumeretur, et in gaudium Domini sui perfecte introduceretur.

B paradisus, sed janua regni Filii Dei potenter aperitur, quod quærit ostenditur; petenti tribuitur. Hoc etiam tempore si cæca fuerit anima, illuminabitur : si infirma, sanatur : si pauper, ditatur : si nuda, vestitur : si debilis, confortatur : si nutans, constans efficitur : si cujuscumque rei dubia, certificabitur : si ab amore Dei frigida, sancti amoris vaporibus inflammatur : si insipiens et stulta fuerit, super omnes 788 docentes se, sapiens et docta erit. Hoc etiam tempore gustatur et videtur quam suavis est Dominus (Psal. xxxiii, 9). Est etiam tempus otii spiritualis, quod est fomentum et exercitatio omnium sanctorum laborum : quia cum illud, pro quo laboratur, licet modicum, hoc tamen in tempore suaviter degustatur, laboris incendium tam dulciter quam fortiter inflammatur. Quid plura? Hæc etiam omnium tribulationum finis erit, et omnis virtutis fortitudo. Hoc tempore perfectæ orationis merito omnes inimici viriliter subjugantur, ut virtus eorum ad nihilum redigatur. Virtutes vero per gratiam sancti Spiritus augentur, et firmissime roborantur. Hoc etiam tempore, quæ putanda et reseca sunt in mente, ostenduntur, et in moribus, ut per confessionem postea amputentur. Imo tunc etiam aqua lacrymarum maculosa mundantur, et superflua sacræ contritionis vomere omnimodo evelluntur. Nonnunquam etiam cum cultorem vineæ viderit Jesus ad hujusmodi opera circumspectum, descendit et ipse in vineam suam, et incipit laborantem adjuvare, nociva evellere, superflua destruere ac dissipare. Deinde etiam incipit humilia exaltare, utilia plantare, arida rigare, necessaria ædificare; et, ut dixi, tenebrosa illuminare, et abscondita in palam producere. Et, ut breviter dicam, omnia sic reformare incipiet, ut in illa vinea nil tortuosum valeat inveniri. O vere beata vinea, in quam tu vesemel descendisti cum tanta plenitudine gratiarum, o bone Jesu! Quia nunquam ejus cultorem interna gaudia inexpertum dicam, qui vel semel tanto hospite, imo collaboratore, feliciter meruit gloriari. Nequaquam deinceps erit indoctus, qui talem ac tantum habere meruit instructorem. Quid enim ille nescivit, cujus sapientiæ non est numerus? O